DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

HYDRENCEPHALO ACUTO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

Gulielmus Pillans,

Anglus,

SOC. REG. MED. SOC. EXTR.

Ω οια κεφαλη!!!

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

MDCCCXVIII.

Edvardo Rigby, M.D.

&c. &c. &c.

ARTEM MEDICINÆ

NORDOVICI

FELICITER EXERCENTI;

HAUD IMMEMOR SOLICITUDINIS

QUA SALUTI

Cujusdam

INVIGILAVIT,

HAEC,

TALI QUAM INDIGNA GRATIA!

VOVET GRATISSIMUS

AUCTOR.

AMICO SUO ET CONDISCIPULO,

Bransby Blake Cooper,

REG. MED. SOC. EDIN. NUPER PRÆSIDI,

LONDINI, NUNC TEMPORIS,

CHIRURGIÆ INCUMBENTI,

HAEC QUALIACUNQUE,

IN AMICITIÆ PIGNUS,

QUAM NULLA DELEBIT ÆTAS,

INSCRIBIT

AUCTOR.

AMICO SUO FIDELI,

Georgio Maw,

REG. MED SOC. EDIN. PRÆSIDI,

HAS PAGINAS

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDRENCEPHALO ACUTO.

Etsi fateamur omnino necesse sit Richardo Blackmore, naturam hujus morbi primum innotuisse, ejus tamen hydrencephali notio quam rudis esset atque manca vel ex suis ipsius verbis facile colligitur; inquit enim: "I look upon excessive humours lodged in the brain as the principal infanticides and destroyers of children." Sed Morgagni, in libro quem "De Causis et Sedibus Morborum" edidit, de hydrocephalo speciatim disserens, exempla cranii am-

plificati tantummodo protulit, omnium nempe ad id usque temporis scriptorum instar. Ubi autem de dolore capitis loquitur, ut multa alia loca silentio praetermittam, plurimas recenset cadaverum sectiones, in quibus indicia quae sese obtulisse refert valde suadent ut hydrencephalo ipsi tribuamus omnia signa quae exhibuerunt aegri quorum morbos diligenter adumbrat; nempe, dolorem capitis, torporem, spasmos, et caetera. Is enim, cum omnibus aliis ejusdem aevi medicis, causas morbi aut omnino aut fere omnino ignoravit.

Honorem sane summum laudesque perennes noster sibi jure vindicat WHYTT; quippe qui rem in dubio adhuc versatam tenebrisque involutam lucide adeo exposuit. Haud enim prius chartae quidquam commisit, quam ipsum multoties morborum inspexerat, notaverat, et curiose vestigaverat. Quamobrem, cujus, quaeso, scriptis, si non illius, est fides omnino adhibenda?

Tam varia huic morbo nomina imposuerunt auctores, ut valde dubitare cogor quod cui

praeferam ; tale enim quisque nomen adhibuit, quale morbi naturam aptissime designaret ; omnes autem de hac re erravisse puto ; nam, me saltem judice, hydrencephalus haud morbus ipse est, sed potius morbi sequela, propria sibi signa vindicans. Praefero tamen titulum quem imposuit Doctor SMYTH, nempe *Hydrencephalum*, ei quem CULLEN dedit aut WHYTT, quoniam sedem morbi melius multo et clarius denotat.

Unde aqua in cerebro oriatur adeo est obscurum, ut in multis exemplis, ubi magna pars signorum adfuerunt, capite post mortem patefacto, vel nihil fluidi vel copia minime abnormis se ostendit : multi, contra, hoc morbo correpti, letho succubuerunt, causa mortis prorsus ignota ; aquam enim in ventriculis colligi nulla symptomata monuerunt. Neque ex ulla magis causa quam ex impari ejus et varia natura pendet hujus morbi periculum.

Hydrencephalum his verbis definit CULLENUS : " Apoplexia (hydrocephalica) paulatim " adoriens ; infantes et impuberes, primum las- " situdine, febricula, et dolore capitis, dein pul-

" su tardiore, pupillae dilatatione, et somnolen-
" tia afficiens."

Neque multum mihi huic definitioni objicere mens est ; satis enim morbum designasset, si modo juvenes adultos eum interdum infestare innuisset. Quoad habitum corporis quem hydrencephalus saepissime vexat nihil verbis opus est. Infantes aeque alacres, vegetos aeque pigros infirmosque adoritur : et notatu dignum est juvenes acutissimis ingeniis praeditos eum potissimum infestare. Scrofula causa esse praedisponens habetur, sed de hac re nihil adhuc certi compertum est.

Varias hic morbus induit species : quidam scriptores affirmant eum juvenes gradatim, senes autem subito et vehementius adoriri. Dr Quin ait : " But whoever reasons on the subject will
" of necessity conclude, that the cause of the
" disease may occasionally affect persons of all
" ages, producing very different trains of symp-
" toms in different people. He will naturally
" expect, that the symptoms shall vary in their
" violence, in rapidity of succession, and in

" their consequences, according to the age, " constitution, and strength of the patient." Foeminas quoque saepius quam mares ei proclives esse affirmatur; sed, si exempla ab auctoribus prolata attentius paulo recenseamus, nullum interesse discrimen videbimus; etsi ita judicare rationi maxime consentaneum sit, circuitus quoniam sanguinis velocior in foeminis quam in maribus. Satis jamdudum innotuit hydrencephalum inter annum secundum et decimum quartum aetatis saepissime obvenire. Aggressio ejus vix unquam detegi potest, neque ullum minitatur periculum donec penitus in aegro, ut ita dicam, infigatur. Tria adsunt fere semper stadia; interdum vero adeo sibi impar videtur, ut, antequam signa prognosin infaustam indicent, horae momento cita mors venit, curis et spei medicorum illudens.

Hydrencephalum morbum esse sporadicum, ut aiunt recte, ut opinor, judicarunt auctores. In *primo stadio* aeger languidus apparet; anxietas, inquietudo, anorexia urgent, multa et pyrexiae remittentis symptomata. Post paucos

dies dolor caput invadit, praesertim in parte posteriore, ad nuchas usque humerosque tendens: nonnunquam unum tantum capitis latus infestat, et tunc, corpore erecto, ea pars capitis inclinatur. Nausea et vomitus rarissime desunt, certis temporis intervallis redeuntes. In quibusdam exemplis, membra dolor vehemens vexat, sed neque fixus est, neque certam quandam corporis invadit partem; tunc vomitus rarius urget. Pulsus frequens fit; pupillae contrahuntur, neque solitum lucis stimulum tolerare queunt. Sensum auditus hic morbus reddit acutissimum; lingua fit arida, spiritus et foetidus. Vultus, antea hilaris, mutationem denique subit; collapsus fit et anxius; pallor redit abitque fugax: oculi hebetes fiunt, quos infra linea apparet livida. Cutis nunc arida fit et aspera, et vim resiliendi perdit: appetitus varius est, sed plerumque deficiens: lingua albida et immunda. Signa vespere ingravescunt.

Dolor nunc capitis fixus est, praesertim trans frontem tendens, cum nausea et vomitu vices alternans. Supinus aeger jacere gaudet, et hac

corporis positione mutata, vomitus statim accedit. Interdum aeger parum aegrotare videtur, donec ingruat paroxysmus morbi dolentissimus. Dolor minime, uti conjiceremus, lancinans est et pungens, sed potius parturientium similis, vel quasi ossa a se divellerentur: si manibus tractetur caput, dolor crucians accedit. Alvus maxime torpida et astricta, adeo ut non nisi difficillime solvatur. Noster Gregory, cujus praelectionibus cum tanta et oblectatione tantoque commodo interfui, exemplum citat puellae viginti menses natae, quae, in novem diebus, trecenta sexaginta et septem grana submur. hydrargyri et centum nonaginta et octo jalapae adhibuit, neque alvus vix omnino afficiebatur.

Dr Cheyne affirmat alvum haud semper astringi; est ubi diarrhoea biliosa vomitum comitatur. Dr Smyth, contra, negat se diarrhoeam nisi in uno exemplo adnotasse. Faeces coloris sunt haud naturalis; primo naturae luteae, deinde subviridis, cum scybalis et limo nitente commixtae, odorem referentes putrissimum. Discrimen adest inter faeces hydrence-

phalici et verminantis: hae enim tenues et mucosae, illae, contra, spissae; neque tali diagnosi frustra utimur ad naturam morbi conjiciendam. Autumant medici faeces hydrencephalicas ex bile male secreta cum muco limoso intestinorum constare. Respiratio cita adhuc et difficilis, nunc vix percipi potest. Valde rubescit una vel utraque gena; hoc autem non semper evenit, quippe quia ex motu sanguinis aequali pendet. Abdomen tenditur et tumet, uti et in verminatione; hoc forsan ex distentione duodeni colique oritur. Si regio hypochondriaca prematur sensus adest molestiae. Aegrum inquiete dormire indicant motus crebri, et pressura capitis inter manus quasi ad dolorem levandum. Nares aridae semper et saepe vellicantur; dentes inter dormiendum frendent; aeger quasi perterritus subsilit, et, ambulare conatus, titubat. Sensus visus imminuitur; axes oculorum nasum versus diriguntur, pupillis item dilatatis: hoc nonnunquam unum tantum ex oculis afficit. Caput et praecordia praeter modum calent, neque hunc minuit calorem perspiratio

copiosa. Arteriae caroticae fortiter micant: epistaxis ex nimio sanguinis caput versus fluxu non semper abest; parum autem adjuvat in dolore levando. Quod si aeger haud impuberis sit, delirium eum ferox invadit; contra vero, in impuberibus. Hoc fere evenit diem circiter decimum tertium aut quartum; ejus autem accessio plurimum ex diathesi aegri et statu morbi pendet. In infantibus ubera matris adhuc ducentibus, hydrencephalus haud ita facile dignoscitur; optima diagnosis forsan in talibus exemplis est vultus, vagitus, pyrexia, pervigilium et contractio frontis. Dolor haud vehemens esse videtur, respiratio laborat, et membra interdum extruduntur, haud vero adeo vehementer ac in colica aut torminibus. Nulla certa adest in infantili aetate hujus morbi diagnosis, propter accessionem ejus abnormem et similitudinem quae adest inter hunc morbum et permultos alios. Melius vero remediis idoneis ad hydrencephalum sanandum uteremur, si morbum adesse suspicaremur, quam sero frustra inscitiam nostram lugere.

Secundum stadium.—Pulsus, adhuc multum citatus, nunc tardus fit debilisque ; neque notatu indignum esse videtur, quod quo tardior fit pulsus, eo abnormes magis ictus ejus fiunt. Calor, secus ac in febribus, haud minuitur, cum pulsus fit tardior : contra vero saepe intenditur. Nunc diagnosis adest accurata magis et certa ; et nunc se erravisse agnoscit medicus ignarus, stadium jam tertium et lethale imminere videns. Multa signorum citatorum ingravescunt. Aeger neque corpore erecto sedere nec dormire valet. Strabismus nunc accedit. Luget queriturque semper, et delirio plerumque vexatur. Debiles in hoc stadio, robustos autem citius adhuc adoritur. Vermes haud raro aegrum infestant ; id quod multum affert medicis molestiae. Quamobrem in memoria tenendum semper binos hos morbos se saepe comitari. Urina sedimentum albidum furfuraceum demittit, usque ad mortem aegri jam instantem ; hoc, tunc temporis, haud accidit. Alvus magis astricta fit, pupillae fixae sunt, et spiritus magis foetidus evadit : appetitum cibi signa inquietudinis

indicant. Hujus, ut et prioris stadii, adeo variat duratio, ut interdum mors post paucos dies, interdum, contra, post tot supervenit hebdomadas.

Tertium stadium.—Signa omnia valde ingravescunt: pulsus mirum in modum citatur, omen praebens infaustissimum: immo saepe in ipso hujus stadii limine aeger fato succumbit; nonnunquam vero, doloribus vehementissimis vexatus, languescit gradatim, donec letho demum solvantur. Etsi pulsus adeo acceleratur, fortis adhuc manet, sed tenuis chordaeque similis: morte instante, frequentissimus est. Luce admota, oculi afficiuntur, et versus finem morbi inflammari videntur. Comatosus jacet aeger; et, si suscitetur, omnes et omnia nescit, et de dolore capitis solummodo queritur. Respiratio difficilis, os spumans, rubor genarum insequuntur: interdum *haec* gena pallida manet, dum *alteram* maculae operiunt: interdum, sed raro, hae maculae ipsum corpus invadunt. Convulsiones et deglutitio impedita superveniunt. Ipse exemplum vidi pueri, annos tredecim nati,

qui, per tres dies ante mortem neque fluida nec solida deglutire valebat: artubus mire convulsis et distortis mortem tandem obiit: post mortem, et vultus et corpus statim livescebant. Prognosis infaustissima quum aeger sensu privatur et paralysi laborat; sphincteres resolvuntur, et faeces et urina involuntarie redduntur. Advenit diu expectatum tempus, et, quasi in paroxysmo apoplectico, moritur. Quoniam ita variant, in variis stadiis, hujus morbi indicia, diagnosis certissima formatur ex iis quae maxime prominent. Pulsus imprimis notari debet; actionem tamen cordis et arteriarum multae res afficiunt, quae minime ex morbo pendent, ut sunt temperies aëris, adventus medici, et alia plurima. Dolorem capitis, nauseam, vomitum, exacerbationes febriles, et faeces animadvertere opus est. Ex aetate et diathesi aegri signa multum pendent. Si aetate adulta sit, discrimen intendit junctio firma suturarum, quia magis fluidum resistit; contra, vero, in infantibus, Dr Cheyne sententiam eorum qui ante id temporis scripserunt, refellere conatur; negat enim

compressionem cerebri esse proximam causam mortis: haec sunt ejus verba: "Persons have "lived under the chronic form of this disease "after the ventricles have been distended, even "with the enormous quantity of lbs. xx of fluid; "and I have in three cases of the acute disease, "after the child had been convulsed, delirious "and blind, seen him recover the use of his un- "derstanding, and, what was less to be expect- "ed, his sight. Now the effusion must have "begun long before this period, and therefore "it cannot be held as the cause of suspension "of the animal functions. It is the morbid "action of the blood-vessels wasting the brain, "and unfitting it for its functions, that destroys "the child; and I think it no rash opinion that "death would occur earlier, did not the fluid "exude, and thus continue to the brain the "necessary support from within, which would "have been lost by the wasting of that organ." Cum tali vero sententia minime consentio. Verisimile est effusionem talia protulisse symptomata; sed, fluido absorpto, annon, quaeso, eva-

nescunt? Scimus enim, portionem cerebri non modo morbo laborare, sed et interdum amoveri posse, morte haud superveniente: minime, ergo, rationi consentaneum videtur absorptionem portionis cerebri unicam esse mortis causam, nisi talis absorptio origines nervorum adoriatur: dicerem potius lethum a causis quae simul agunt induci. Ubi cranium amplificatur, necesse est ut cerebrum ipsum expandatur: aucta compressio cerebrum densius reddet, et ita absorptionem promovebit. Si effusio rapide progrediatur, cerebrum multum afficitur antequam hiant suturae; hinc signa inducuntur graviora, et mors subita saepe supervenit.

In hoc argumento, conjectura tantum et theoria nitimur. Tam mire enim imperio nervorum inservit totum corpus humanum, adeoque nobis latent functiones cerebri, ut nulla de causa mortis proferri quiret conjectura, cui non mille objicerentur argumenta.

SECTIO CADAVERIS.

Priusquam certi quidquam de modo medendi inferre liceat, omnino necesse est ut saepenumero inspiciamus quomodo hoc morbo afficitur cerebrum. Quid in unoquoque stadio de cerebro post mortem notandum in genere adumbrare suscipiam. Ubi *primum* hujus morbi stadium mortem induxit, capite patefacto, vasa sanguinea non semper turgida videntur: neque, ut opinor, haec si turgida forent, praesertim venae, inflammationem praeiisse pro certo est. Non desunt exempla aegrorum, quos phthisis pulmonalis letho dedit, in quibus et venae et arteriae maxime turgebant; sed nihil dubii esse potest, quin hoc ex debilitate vasorum provenerit, et forsitan post mortem aegri ex positione corporis. Veruntamen si, massa cerebrali incisa, lympha coacta et maculae sanguinis arteriosi, arterias quasdam fuisse ruptas ostendant, seu

praeter solitum distensas, tunc plane constat inflammationem fuisse in causa. Dura mater et pia densantur: haec maculas lividas exhibet, necnon lympham coactam quae exudavit. Infra tunicam arachnoideam effusio conspicitur serosa, et multis in locis adhaerent sibi tunicae. Plexus choroides coloris sunt malesani, plerumque perpallidi.

Si *stadium secundum* aegrum necaverit, praeter signa jam nunc recensita, copia fluidi serosi ventriculos distendit, ad duas usque vel sex uncias. Haec effusio nonnunquam itinera permeat ad tertium et quartum ventriculos. Hi sunt effectus inflammationis quae, haud raro, usque ad cerebellum tendit. Ubi hic morbus chronicus fit, fere semper mutationem morbidum subit: tubercula hic conspiciuntur ut et in cerebro, eorum similia quae pulmones occupant, quorum *haec* immatura, *haec* jam in pus abierunt. Viscera abdominis phaenomena quaedam exhibent; inflammatio et constrictio spastica intestina vexant; hepatis superficies albida fit; vasis

exiguis referta, quae peritonaeo late adhaerent. "In several dissections," inquit Dr CHEYNE, "I "have found this organ studded with small "tubercles, of a white colour, not larger than a "grain of mustard seed. The mesenteric glands "are also diseased: this is evinced by their en- "largement, and the caseous depositions we find "in the substance of the glands."

Fluidum in ventriculis persimile esse invenerunt chemici fluido hydropico in genere: minor autem inest copia albuminis et gelatinae, quamobrem haud aeque afficitur calore, acidis, et alcohole.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

In exordio hujus tentaminis dixi infantes et impuberes inter annos aetatis secundum et decimum quartum huic morbo esse maxime proclives, ii praesertim quibus est diathesis strumosa, quam satis denotant temperamentum san-

guineum, pulchri crines, oculi caerulei, labrum superius tumidum, cutis et admodum laevis, mollis et delicata. Aliorum morborum instar, haereditarius est, et quamvis ipsi parentes nec struma, nec alio quovis morbo laborare videantur, totam eorum progeniem perimat. Ego ipse satis memini duas puellas huic morbo succubuisse, quarum parentes bene se semper habuerunt, quarum autem aviam phthisis pulmonalis confecerat. Si verum omnino sit, quod nullus dubito, hydrencephalum saepius foeminas quam mares adoriri, oritur forsan ex eo quod habitus iis laxior contingit et arteriae nostris debiliores; unde quoque hydropibus omnigenis magis inserviunt, et secretio unaquaeque iis copiosior. Annon infantes hydrencephalus infestat, propterea quod natura iis sit teneris annis irritabilior? Hanc sententiam experientia confirmare videtur; scimus enim eos impuberes, quibus adest ingenium alacre et solers, hoc morbo praecipue affici. Contra, quoniam mors in secundo anno saepissime accidit, talem sententiam nonnulla exempla refellere

videntur. Exempli gratia, cerebrum foetale, inter parturiendum, pressuram sustinet, quae post partum ei valde noceret. Quibus argumentis est lis dirimenda? Nonne hoc fit quia cerebrum foetale nunquam ad actionem cietur, ideoque iis stimulis parum accommodatum est qui id alias afficerent? Adde quod sanguis extremas corporis partes petit usque ad annum aetatis secundum, quo tempore exacto, circuitus equabilior fit.

Aiunt hydrencephalum haud mares tam provecta aetate quam foeminas adoriri, quippe quia illi robustiores sunt et aggressioni ejus fortius resistunt.

CAUSAE EXCITANTES

In duas classes optime distribuantur; externas nempe et internas. Est autem difficile utri horum hydrencephalum tribuere. In genere vero internis causis referenda est, quas exter-

nae ad actionem cieant. Causae externae sunt casus et ictus in capite, quibus liberi inserviunt, et quae inflammationem et effusionem inducunt.

Dr Cheyne negat hunc morbum injuriis externis excitari posse; in libello ejus tria recenset exempla hydrencephali quae illis tribuebantur, et in duobus ex his exemplis nihil provenit donec duo menses elapsi fuissent. "In "one case alone out of upwards of three hun-"dred can the cause be traced with any pro-"bability to external injury."

Sed, pace medici tam celebris, annon ictus in membranis cerebri inflammationem cieat, quae ad piam matrem tendat, inde ad ventriculos, ita ut causa demum excitans fiat hydrencephali? Dr Pott, in libro quem edidit de chirurgia, signa cerebri morbo ab injuriis externis affecti dilucide adeo et accurate recenset, ut verbis ejus uti liceat: "The symptoms attend-"ing a strongly inflamed state of the brain, in "consequence of external violence, are, pain "in the head, restlessness, want of sleep, fre-"quent and hard pulse, hot and dry skin, flush-

" ed countenance, inflamed eyes, nausea, vo-
" miting, rigors, convulsions and delirium.
" These come on so unobserved and gradually,
" as not to be noticed until some days have
" elapsed after the accident shall have happen-
" ed." Amputationes quinetiam inter causas externas numerantur.

CAUSAE INTERNAE

In duas quoque classes dividantur; in eam, nempe, quae proxime, et eam quae consensu aliarum corporis partium, cerebrum afficit. In omnibus exemplis, hydrencephalus ex habitu corporis pendere videtur; diathesis asthenica imprimis ei esse obnoxia videtur, ubi stimuli infra dicti admoventur.

Vasa cerebri motibus quibusdam corporis et capitis laedantur, ludis puerilibus, exercitatione immodica, et omnibus iis rebus quae congestionem et effusionem promovent. Contra, aliae

causae corpus priusquam cerebrum morbo afficiunt; ut sunt morbi viscerum chylopoëticorum ex struma fortasse orti. Exempli gratia, hepar laborans cerebrum ex consensu afficiat; hoc optime judicatur ex dolore, sub pressu regionis hypochondriacae, ut et ex colore faecum. Febris intermittens, remittens, synochus, et exanthemata, rheumatismus, phthisis pulmonalis, verminatio, cholica, paralysis, melancholia, dysenteria, dentitio, evacuationes solitae suppressae, scrofula, &c., causae excitantes habeantur; ex his, autem, plurimae ex scrofula oriuntur.

CAUSAE PROXIMAE.

Nemo adhuc talem in lucem protulit, quae originem morbi sàtis indicaret. "The immediate "cause of this disease, (inquit Dr Whytt,) and "of every kind of dropsy, is always the same, "viz. such a state of the parts as makes the ex-

" halant arteries throw out a greater quantity " of fluid than the absorbent vessels can take " up." Dr QUIN hanc sententiam his verbis refellere conatur: " When we consider that " hydrencephalus generally attacks children of " the most lively intellect, and of remarkably " healthy constitutions, such indeed as are " most remote from any degree of cachexy, a " suspicion will necessarily arise, that its causes " are of a different nature from those of drop- " sy, and much more nearly allied to those of " acute diseases." Hinc inquit, " The disease " in question always owes its origin to a mor- " bid accumulation of blood in the blood-ves- " sels of the brain, sometimes proceeding to a " degree of inflammation, and generally (but " not always) producing an extravasation of " watery fluid before death." Hoc tamen minime persuasum habeo; nam si nulla adsit in cerebro aqua, hydrencephalus nequit adesse; quod si adsit aqua, Dr QUIN plane agnoscit notionem morbi a Dr WHYTT prolatam esse omnino veram. An morbida sanguinis accumulatio

inflammationem inducat? Ego, quidem, aliter sentio, nisi causam pro effectu intelligamus. Dissentire quoque adducor a Doctore QUIN, nam omnino fatendum est strumosos esse cachecticos.

DE INFLAMMATIONE, CAUSA PROXIMA HYDRENCEPHALI.

INFLAMMATIO proxima causa hujus morbi merito habetur, quippe quae signa jam recensita ad actionem ciet. Arterias majores stimulet necesse est; hinc secretio fit abnormis, uti satis indicant secundum tertiumque hujus morbi stadia. Maxima pars scriptorum negant hydropem cerebri anasarcam comitari: quomodo igitur hi morbi similes esse possunt, nisi quoad actionem vasorum? Cur ita raro simul corpus afficiunt ita explicare suspicio. Hydropem partialem aut generalem (ut verbis artis nostrae utar) diathesis phlogistica haud secus ac debilis inducere potest. Quidam ex hujus acade-

miae professoribus exemplum mihi narravit anasarcae quae aegram letho dedit. Pridie mortis erysipelas eam phlegmonodes invasit, et sanguis illico mittebatur. Quam utile hoc esset remedium examinatio post mortem satis indicavit: tantum autem missum fuit sanguinis, ut timuit medicus, ne nimis debilis aegra fieret, abdomen enim perquam tumidum evasit. Si anasarcam actio arteriarum aucta generet, putandum est tot anastomoses et gyros in arteriis cerebri reditum sanguinis quodammodo impedire; quamobrem vasorum secernentium actio parum afficiatur. Quod si, contra, effusio sive in abdomen sive in alia corporis cava ex debilitate oriatur, ars ὑδραυλικη satis monet sanguinem facilius ex capite redire posse quam ex alia quavis corporis parte: ideoque neque congestio eveniret nec effusio, quapropter mihi persuasissimum est, hydrencephalum vel ex tanta sanguinis copia caput versus oriri ut vim arteriarum omnino superaret, vel ex tali actione cerebri quae absorbentia debilitaret; haec actio peculiaris a quibusdam nominatur irritabilitas. In tomo

primo libri dicti Medico-Chirurgical Journal and Review, exempla citantur in quibus sanguine a canibus usque ad mortem detracto, effusio in ventriculis se semper ostendit. Hinc clarissime constat signa primi stadii ex ea causa excitante omnino pendere. Sed quoniam hydrencephalus ex debilitate ortus plerumque chronicus sit, satis erit rationes proferre symptomatum quae in hydrencephalo se ostendunt acuto. Dolor capitis, vertigo, genae rubore suffusae, inquietudo, delirium, intolerantia lucis, pyrexia, et arteriae temporum micantes, ex inflammatione cerebri oriuntur. Anorexia, nausea vomitusque ex consensu inter cerebrum et ventriculum, constipatio ex secretione bilis imminuta. Dilatatio pupillarum, coma et strabismus, in secundo stadio, ex compressione cerebri nervorumque pendent; pulsuum varietas ex compressione nunc arcta, nunc laxa effici videtur; de hoc autem nihil certi affirmari potest. Paralysis quoque et convulsio in ultimo hujus morbi stadio ex eadem causa inducuntur.

DIAGNOSIS.

In morbis adeo obscuris, qui sedem in cerebro aut nervis habent, signa diagnostica accurate proferre difficillimum, praesertim vero in hydrencephalo, quoniam tot morborum ei similes sunt, quorum aliqui simul corpus afficiunt. Verminatio, febris remittens, dentitio, et tabes mesenterica, saepissime cum hydrencephalo confundi possunt, quamobrem sigillatim de iis disseram. Sed omnia signa sunt simul inspicienda; et ne tunc quidem semper recte conjicimus, nisi effusio adsit, quae veram morbi naturam indicet. Si lenis adsit pyrexia, plane ingravescens mane et vespere, aut nocte et bis terve in die, si vomitus et dolor capitis haud multum urgent, si absit intolerantia lucis, si alvus sit astricta, faecesque nigrae, turbidae, et foetidae, febrem remittentem facile agnoscimus. —A tabe mesenterica his signis dignoscitur: ca-

tharticis adhibitis, abdomen non tumet; sed in tabe mesenterica pyrexia adest lenis, faeces albidae, languor, lassitudo, debilitas, macies, pulsus parvus et frequens, anorexia, cum rubore genarum alternans et febris hectica.—Diagnosis inter hunc morbum et verminationem haud aeque facilis est. Sub initium morbi, signa solita magis subito et vehementer quam in hydrocephalo se ostendunt. Abdomen saepe tumet, tormina aegrum cruciant, spiritus est foetidus, pruritus nasi adest et ani, abest pyrexia, et pulsus idem perstat.—Quod si diu vermes intestina occuparent, interdum hydrencephalum movent. Pupillae interdum dilatantur, sed nulla adest lucis intolerantia, et dolor capitis haud aeque urget, nec subito aggreditur. Faeces, ut antea, dignoscendae. Si signa ingravescant in verminatione, neque solitis cedant remediis, remedia contra hydrencephalum adhibenda sunt cum anthelminticis.—In dentitione, gingivae admodum inflammantur, tument, dolent; infans semper vagit, cito irascitur; gingivas attrectat, et secretio salivae copiosior fit; convulsio

lenior est quam in hydrencephalo, et subito accedit; alvus soluta est, faeces coloris soliti. Exanthemata saepe erumpunt, quae durant donec dentes in conspectum venerunt, et quae subito aut omnino repellere malum est, quippe quia plurimi inde oriuntur morbi et hydrencephalus ipse: necesse tantum est ut gingivae incidantur. Incidi nuperrime gingivas infantis duos annos nati, quem post duos dies mortuum esse attonitus audivi. Quoniam mihi cerebrum inspicere non licebat, non ausim affirmare hydrencephalum mortem induxisse: ex signis autem quae se ostenderunt antequam mortem obiit, valde adducor ut credam dentitionem hydrencephalum excitasse, etsi nulla ipse symptomata hydrencephali adesse vidi.

PROGNOSIS.

Prognosin in hydrencephalo, ut et in cunctis aliis cerebri morbis, semper esse infaustam om-

nino necesse est; cerebrum enim omnes corporis partes sub imperio tenet, unde plane sequitur, eo laeso, quamplurimas functiones pariter affici. Aggressio hydrencephali adeo est obscura, ut sub oculorum sensum haud semper cadat donec nimis jam ingravuerit. Neque, me saltem judice, hydrencephalus, si inveteraverit et penitus se infixerit, unquam sanari potest; quoniam absorbentia, quae in cerebro inesse nunc vix dubitatur, lentissime fluidum effusum hauriunt. Nonnulli sane affirmant eum remediis cessisse; hoc autem fieri posse nego, nisi in ipso morbi initio. Si excretiones augeantur omnes, spes quidem tenuissima fovenda est; semper autem sedulo cavendum ne falsa expectatione amicos proximosque aegri erigamus.

RATIO MEDENDI.

Consilia medendi quinque adsunt:

1mo, Inflammationem cerebri minuere.

2do, Causas irritantes in canali intestinali visceribusque chylopoëticis amovere.

3tio, Absorptionem promovere.

4to, Signa molestiae mitigare.

5to, Corpus roborare.

In inflammatione vasa parva minus fiunt irritabilia, quod impedit quo minus se contrahere valeant. Areae eorum ita dilatantur ut majorem sanguinis copiam admittant, unde intenditur actio vasorum majorum ut vacuum impleant, quod genuit debilitas. De inflammatione multum inter medicos disputatur; rationem vero medendi omnes eandem adhibent; varia igitur remedia recensebo antiphlogistica.

Detractio sanguinis, et generalis et localis, imprimis est utilis; illa, enim, copiam sanguinis per totum corpus minuit, haec vero copiam in vasis exiguis quae admodum turgent. Postquam inflammatio se ostendit, praesertim si aeger sit robustus et plethoricus, sanguinem mittere oportet; aetas autem et diathesis aegri notandae sunt, quoniam nimia sanguinis detractio aegrum debilitaret et secretiones augeret. De-

tractio sanguinis duobus commodis inservit; nam inflammationem minuit, et hydrargyrum efficacius reddit, cui remedio hic morbus vehementer resistit. Dr CHEYNE hoc remedium adhibere monet in ullo morbi stadio, si modo convulsiones nondum supervenerunt. Si aeger sit debilissimus, effusioque ex congestione orta esse videatur, parca sanguinis copia saepe detrahatur; hoc pulsus optime denotat, qui tardus, plenus, et, ut ita dicam, gravis est; post paucos dies magis naturalis fit, et signa plethorae multum minuuntur.

Vesicantia omnes fere hujus aevi adhibent medici; experientia enim satis docuit quantum afferunt commodi in plurimis morbis, etsi haud adhuc constat quis iis sit modus operandi. In hydrencephalo aliam corporis partem irritando irritationem cerebri fortasse allevant, sanguinem a capite trahendo: hoc efficit ut vasa cerebri roborantur. Vesicatoria saepe iterata vel perpetua in usu sunt: constare ea oportet ex emplastro lyttae vel unguento ex antimonii tartrate et cerato cerae formato. Inter vesicandum, copia

urinae notanda est. Ipse dysuriam bis supervenire cognovi. Hoc facile impeditur interponendo nebulam lineam, ope cujus parum, si omnino efficitur vesicatorium. Infricetur camphora in emplastrum, quo pro vesicante utimur, vel diluentia copiose hauriantur. Fonticulus nuchae cum commodo applicetur, sed diu continuari debet. Dr Smyth cauterio bregma praesertim inurere monet; huic parti aptissime applicari affirmat, propter junctionem hic loci vasorum externorum et internorum. "The caustic "(inquit ille) is more certain in its operation than "blistering, and the lunar caustic spread upon "leather I use as a plaster; a piece of this plaster, about the size of a half-crown, is to be "applied and removed every twelve hours, until an eschar is produced: after it suppurates, "the discharge is to be kept up by proper "dressings."

Frigus vel quivis alius stimulus capiti applicetur, qui exigua vasa ad se contrahendum cieat. Irritatio subinde minuenda. In hoc morbo, ut et in omnibus aliis, causas primas hoc irritantes

amovere conandum est; et quoniam hae causae tot sunt et tam diversae formula in genere exhiberi nequit; medicus ipse optime judicabit qua ratione hoc facillime efficitur. Alvus in hoc morbo plerumque plus minus astringitur; cathartica igitur adhibeantur. Quod si minus sit soluta, id quod rarissime evenit, purgans idoneum in usum veniet, uti submurias hydrargyri, cum pulvere rhoei et jalapae et quovis aromatico. Dr HAMILTON plurima recenset exempla utilitatis purgantium: "Should we ascertain that the "alimentary canal is torpid, and imperfectly "performing its functions, either by the accu-"mulation of feculent matter, or by vitiated or "diminished secretions flowing into it, which "we may discover by the peculiar appearance "and pungent fœtor of the excrement, we "must endeavour to effect a change by a stea-"dy course of purgatives: this remedy, if "pushed too far, like blood-letting, may prove "injurious, by debilitating the patient; if mild, "it tends to render the functions of the in-"testines more regular, and increases the "strength of the body."

Ventriculus saepenumero, ex debilitate, medicinam respuit: si hoc fiat, enemata in usum venient, etsi neque tantum nec tamdiu prosint. Tantum valet submurias hydrargyri in mutando actionem arteriarum inflammatione laborantium, ut eo semper utendum sit: haud multum interest quid purgans cum eo conjungitur. Si alvus cito respondeat, pulvis rhoei fortasse optimus est: sin autem minus respondeat, minime huic remedio confugiendum est, alvum enim postea astringit. Hinc aloë, gambogia, scammonium et jalapa utiliora sunt.

Ad promovendum absorptionem, quod tertium est medendi consilium, digitalis est utilissima; copia autem digitalis ex aetate et diathesi aegri multum pendet. Si inflammatio urgeat acuta, digitalis est omnino vitanda, quoniam valde primo stimulat, etsi subinde pulsum reddat mollem, tardum et naturalem, nisi in hydrencephalo, in quo pulsus frequens manet et abnormis, etsi sit mollior. Si cum hydrargyro conjungatur, multo efficacior evadit. Hujus remedii bonum multum pendebit ex modo quo renes

afficit et absorbentia, neque de utilitate ejus dubitandum est, donec adhibita fuerit per duas vel tres saltem hebdomadas. Unguentum hydrargyri commode capiti applicetur, donec superveniat ptyalismus mitis, quem continuare convenit, quoniam prognosin praebet faustiorem ; hoc autem minime fieri debet vasis cerebri inflammatione vexatis. Pulv. antimonialis utilissimum esse remedium praedicat Dr Burns, medicus Glasguensis.

De signis mitigandis, nihil verbis opus est, quoniam major pars eorum ex morbo ipso pendent, nec levari queunt.

Summa cura nitendum est ut vires aegri sustententur in ultimis hydrencephali stadiis : ad hoc plurimum valent et medicina et diaeta : tonica maxime stimulantia omnino vitanda sunt, quia inflammatio per totum morbi cursum plus minus urget.

FINIS.